



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ernesti Schvberti S. Th. D. Et Prof. Primar.  
Academ. Helmstad. Abbatis Coenobii Ad Lap. St. Mich.  
Sem. Theol. Directoris Institvtiones Theologiae Moralis**

**Schubert, Johann E.**

**Ienae [u.a.], 1759**

Caput II. De Officiis Christianorum erga se ipsos

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50801](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50801)

nis divini tegere; 3. *Perjurum* confite-  
 tire in vindictam divinam, eamque condi-  
 tionem adimplere, qua extitura eam in se  
 depoposcit; 4. *Perjurum* ipso facto de-  
 clarare, se aut Deum ipsum, aut ejus o-  
 mniscientiam, potentiam, vel sanctitatem  
 abnegare; 5. *Perjuris* locum non esse in  
 communione sanctorum; Ps. XV. 4.  
 XXIV. 4. 6. *Eisdem*, nisi omni Numi-  
 nis sensu careant, morsibus conscientie  
 continuo excruciaci, nec posse ejus grati-  
 am implorare, quem sibi iratum & vindic-  
 cem ipsi ultro voluerunt; 7. *Excussisse* eos  
 quoque omnem honestatis & civilis justitiae  
 sensum, dum extremum illud vinculum  
 spreverunt, quo se obligare solent homi-  
 nes, cum reliqua omnia deficiunt.

## CAPVT II.

DE

OFFICIIS CHRISTIANORVM  
 ERGA SE IPSOS.

## §. XC.

Amor sui  
 ipsius.] *Primum*, quod quisque sibi ipsi debet, est  
 amor sui ipsius, h. e. studium, suam ipsius  
 perfectionem & felicitatem promovendi. Sum-  
 ma enim totius legis naturæ hæc est: Fac  
 ea, quæ gloriam summi Numinis illustrent,  
 teque

teque ipsum perficiunt. (§. 17.) Cum ergo naturæ lex lege Dei positiva minime abrogata, sed potius magis declarata & confirmata sit, (§. 28.) & hinc Christianos utramque sequi oporteat, quisque etiam se ipsum amare tenetur. Lev. XIX. 18. Matth. XXII. 39. Rom. XIII. 9. Eph. V. 29. Quod ne præpostere aut cæco quasi impetu peragatur,

1. *Homo Christianus se ipsum quam diligentissime exploret*, ut intelligat, tum quid habeat virium & perfectionum a Deo acceptarum, tum quibus adhuc laboret imperfectionibus, tum quænam sit illa felicitas, cujus particeps fieri possit, tum denique quibus illa mediis comparari queat; 2. Cor. XIII. 5. Eph. I. 17.

2. *Homo ex anima & corpore constat*, variasque circumstantias ac relationes externas habet, quæ statum ejus externum constituunt. Horum omnium contrariæ possibiles sunt determinationes, quarum aliæ in hominis felicitatem tendunt, aliæ in ejus infelicitatem. *Ergo & anima, & corporis, & status externi perfectio strenue promovenda est;*

3. *Cognita perfectione, qua quis potiri possit, cognitisque mediis, quibus utendum sit, ea tanto studio adhibenda sunt, ut nec laboris, nec molestiæ nec difficultatis metu absterreri nos patiamur;*

4. *Fieri*

4. Fieri autem potest, ut perfectio major & minor simul impetrari nequeat, ut quoque alterutra negligenda sit. Quod acciderit, considerandum est, perfectiorem minorem, quæ impedit maiorem aliquid mali esse, hominem reddere infeliciorem. *Ergo existente collisione minor perfectio negligi debet, ut maiorem consequi possimus;*

5. Sed in hoc studio, se ipsum perficiendi, certus tenendus est modus. Constat enim, Deum quoque amandum esse (§. 72.) Cum ergo officia erga Deum quibuscunque aliis potiora esse debeant, (§. 69. num. 4.) sequitur, *Deum magis amandum esse, quam nos ipsos;* Gen. XXII. 12. Deut. XIII. 6. seqq. Luc. XIV. 26.

6. Denique cum præter nos ipsos non tantum Deus, sed etiam res aliæ diligi debeant, *nemo se solum amet.*

Amor dispesci solet in AMOREM BENEPLACENTIÆ & BENEVOLENTIÆ. Ille est dispositio ex re quadam voluptatem capiendi; hic vero studium, rem istam perficiendi. Amor autem benevolentiae cum oriatur ex amore beneplacentiæ, atque sine hoc esse nequeat, sufficiebat, prioris necessitatem demonstrasse. Præter rationem jam redditam & expressum Dei verbum obligationem, se ipsum diligendi, probat

I. STIMVLVS NATVRÆ INTIME INFI-  
XVS, quo nemo mortalium caret, & qui  
non est habitus vitiosus, a corruptione  
mentis dependens, sed principiis tam na-  
turalibus quam revelatis plane conformis.  
Hunc stimulum Apostolus innuit & ap-  
probat, Eph. V. 29. & quoniam quisque  
eum sentit, & non potest non sequi, offi-  
cium, se ipsum diligendi, in decalogo  
nulla expressa lege præcipiebatur, quam-  
quam implicite & cum necessaria limita-  
tione in eodem contineatur, Lev. XIX. 18.  
Matth. XXII. 39. 2. NOSTRA A DEO DE-  
PENDENTIA. Ipsius enim opus sumus,  
quod vi amoris erga creatorem magni fa-  
cere, fovere, & æstimare debemus. 3. SVM-  
MVS DEI AMOR, qui tantus in quemque  
nostrum erat, ut & unigenitum suum fili-  
um pro nobis omnibus traderet. Jo. III. 16.  
Rom. VIII. 31. 32. 4. MOTIVA, quibus  
ipse Deus nos ad obsequium erga mandata  
sua obligat, quæque ita sunt comparata,  
ut nihil valoris haberent, nisi homo se ip-  
sum diligeret, seque diligere obligatus fo-  
ret. Exod. XX. 5. 6. Rom. II. 7. 9. 5. IN-  
HABITATIO SP. S. qua fideles templum  
Dei redduntur. I. Cor. III. 16. 17.  
6. PRÆCEPTVM INVOCANDI DEVM in  
quacunque necessitate, ut nos liberet ab  
omni malo. Ps. L. 15. Matth. VI. 13. Hu-  
ic officio non repugnat ABNEGATIO SVI

Schub. Theol. Moral.

S

IPSI

IPSIUS, cum quis propter Deum se suam  
que felicitatem negligit. Nam qui se  
ipsum abnegat, recte & ordinate se diligit  
& tantum bonum majus minori praeferat.  
Certus enim est, majora sibi expectanda  
esse bona, si alia propter Deum abjicienda  
sint. Hinc & abnegatio sui ipsius magis  
quam postulat, ut Dei causa aeterna salu-  
tari carere velimus. (§. 75.)

OPPOSITA amoris hujus sunt & DE-  
TRACTVS OMNIS AMORIS, qui tamen nobis  
ibi facile existet, & AMOR INORDINATUS  
qui eo frequentior esse solet. Varietas  
tem immoderata & inordinata illa philantropiam  
se exserere solet, veluti I. *cum majora bona*  
na pluresque perfectiones nobis in esse cogi-  
gitamus, quam vere adsunt, defectus esse  
tem, imperfectiones, & vitia, quibus laboramus,  
aut non videmus, aut excusamus; Matth. VII. 3, seqq. Luc. XVIII. 11.  
2. *cum, quae nobis insunt*, bona & vitia  
non ad Deum tanquam auctorem, sed ad  
nos ipsos referimus; Dan. IV. 27. 1. Cor. IV. 7. 3. *cum sorte* nostra contenti non  
sumus, sed bona appetimus, quae supra  
conditionem humanam posita sunt; Gen. III. 5. 6. Act. XII. 22. 4. *cum nos solum*  
diligimus, rebusque aliis tantum bene cupimus,  
quatenus ad nos habent relationem, nostrumque statum perficiunt; Matth. XIX, 27. 5. *cum Deum unice* propter utilitatem  
lita-

litatem nostram colimus, quod Jobum facere satanas præfumebat; Job. I. 9. 10. 11. 6. *cum bona* minora & apparentia præferimus majoribus & veris; Matth. VIII. 34. 7. *cum nostra* commoda injustis & illegitimis mediis quærimus. Luc. XVI. 5. seqq. Et quis omnia extrema hujus extravagantis amoris recensere posset? Difficile est, eum ita coercere, quemadmodum oportet. Est enim stimulus naturæ, qui, cum accedit naturæ corruptio, ita evagatur, ut nullis limitibus se contineri patiat. Sed *fideles*, in quibus est natura per gratiam emendata, *multa habent motiva*, quibus cavent, ne necessarius sui ipsius amor degeneret in inordinatum. 1. *Sciunt*, amorem inordinatum vere nullum esse, & homines, qui eo laborant, se odisse, suamque in perniciem de industria se præcipites dare; 2. *Norunt*, amore inordinato effici, ut nec videant, quibus bonis indigeant, quibusque malis premantur, nec justa suæ felicitatis promovendæ media adhibeant; 3. *Norunt* etiam, hunc ipsum amorem esse veram idololatriam, dum honorem & amorem, qui soli Deo debetur, in se devolvunt homines, hoc vitio infecti; 4. *Didicerunt*, eundem esse omnium vitiorum, fastus, avaritiæ, injustitiæ, invidiæ, &c. matrem; 5. *Denique non ignorant*, quot quantæque sibi sint causæ, Deum super

omnia diligendi, & proximum sicut se-  
ipsum, hisque considerationibus amorem  
ipsum ita temperare student, ut non fac-  
in transversum agatur.

## §. XCI.

Cura ani-  
mæ.

Perfectionum, quas intuitu sui ipsius  
quisque sectari debet, alia est animæ, alia  
corporis, alia status externi. (§. 90. num. 2.)  
Sed harum omnium præcipua sine dubio  
est animæ. Nam primo anima est pars  
nobilissima hominis, quæ sola Deum potest  
est cognoscere, legibus obligari, & officia  
quæ Deo præstanda sunt, adimplere. Se-  
cundo anima est immortalis, & perenni-  
vita fruitur, cum corpus interit, omnes-  
que hujus vitæ circumstantiæ abolerentur.  
Tertio perfectio corporis & status externi  
nihil esset, nisi anima eam sentiret, & ex  
ea voluptatem caperet. Cum ergo ma-  
jor perfectio præferenda sit minori, (§. 90.  
num. 4.) homo christianus ante omnia animam  
curet, ejusque veram perfectionem & felicitate-  
m promoveat. Matth. X. 28. XVI. 26. Jam  
vero

I. Anima variarum perfectionum natu-  
ralium capax est. Intellectus multiplici  
cognitione & sapientia, voluntas autem  
multis bonis habitibus instrui potest, qui  
ad honestatem & justitiam civilem perti-  
nent.



ment. Ergo & opera danda est, ut his naturalibus donis & virtutibus anima ornata sit. Phil. IV. 8.

2. Omnium vero maxima perfectio est æterna vita. Tunc enim intellectus lumine gloriæ & perfectissima Dei cognitione gaudebit. Voluntas & intensissimo Dei amore flagrabit, & summam ac ineffabilem lætitiã sentiet. Nulla tunc erit imperfectio, nullus dolor, nullus defectus. Et hæc felicitas uti in se est maxima, ita & semper duratura est. Hinc præcipua Christianorum cura esse debet, ut æternam salutem consequantur. Matth. VI. 33 Phil. II. 12.

3. Norunt autem Christiani, hanc felicitatem sola fide in Christum impetrari. Norunt etiam, fidem istam oportere esse constantem & finalem. Excussa enim fide perditur remissio peccatorum & justitia, cui cæleste præmium promissum est. Ezech. XVIII. 24. Quin hæc fidei amissio adeo periculosa est, ut præstet, eam nunquam habuisse, quam rursus perdidisse. Ebr. VI. 4. 5. 6. 2. Pet. II. 20. 21. Quapropter cum Christiani in Christum credant, & fide jam facti sint filii Dei, & hæredes æternæ salutis, Rom. VIII. 15. 16. 17. omnibus viribus illis enitendum est, ut in fide usque ad ultimum vitæ momentum perseverent. Matth. X. 22. 1. Cor. X. 12. Phil. I. 6. 1. Pet. V. 10. Apoc. II. 10.

4. Hanc

4. Hanc perseverantiam cum Deo omnibus & singulis largiri velit, qui viribus spiritualibus in regeneratione acceptis recte utuntur, continua verbi divini meditatione fidem suam confirmant & augent, studium bonorum operum pro virili sestantur, tentationibus carnis & mundi fortiter resistunt, & a Deo auxilium gratiamque petunt, *his mediis omnibus rebus etiam utendum est piis Christianis.*

**CVRA ANIMÆ** fidelibus eo magis commendanda est, tum quia anima sola ad divinam imaginem creata est, quæ, licet lapsu amissa sit, in fidelibus tamen restauratur, & semper magis magisque perfici debet; Rom. VIII. 29. Eph. IV. 24. tum quia præcipua Dei beneficia, qualia sunt remissio peccatorum, unio cum Deo, &c. ad animam pertinent; tum quia hæc omnia illi comparata sunt infinito pretio, morte nimirum ipsius filii Dei; Rom. V. 10. 1. Tim. II. 6. 1. Pet. I. 18. 19. tum quia ipsa est templum Spiritus sancti. 1. Cor. III. 16. Potest autem anima perfici &

**DONIS NATVRALIBVS**, quæ non minus sunt beneficia divina, a Deo petenda & accipienda, quam spiritualia, Exod. XXXI. 3. 6. 2. Par. I. 10. II. 12. Prov. II. 6. &

**DONIS SPIRITVALIBVS**. Quæ posteriora licet ipsa regeneratione conferantur, & renovatione tantum augeantur & perfici.

ficiantur, tamen, cum heic loci officia Christianorum, h. e. hominum jam reatorum, exponantur, ea duntaxat dona indicanda erant, quæ in ipsa renovatione acquiruntur. Hæc autem omnia *perseverantia in fide* continentur. Nam perdurante fide existere pergit remissio peccatorum, declaratio hominis pro justo, jus filiorum Dei, spes æternæ vitæ, &c. Eadem perdurante crescit etiam & conservatur studium pietatis, unio cum Deo, inhabitatio Sp. S. sanctificatio, habitus justitiæ in hærentis, &c. Ut vero fides ista conservetur, opus est variis exercitiis pietatis, quæ ex parte breviter indicata sunt num. 4. ex parte autem copiosius exponuntur, cum in parte tertia de vario Christianorum statu de industria nobis agendum erit. Itaque MOTIVA PERSEVERANDI IN FIDE tantum adiiciam. Huc in primis pertinet 1. *continuata* possessio bonorum spiritualium; 2. *certitudo* unionis cum Deo, gratiæ ejus, & futuræ vitæ, qua nullum bonum potest esse excellentius; Ps. LXXIII. 25. 26. Rom. V. 1. 2. 2. Tim. I. 12. 3. *Inhabitatio* Sp. S. qui pignoris loco nobis datus est, ut inde cognoscamus & sentiamus, Deum nostrum esse patrem, nosque filios ejus, & hæredes salutis; Rom. VIII. 15. 16. 17. Eph. I. 13. 2. Tim. I. 7. 4. *Confidentia*, & terreno-

rum bonorum nihil nobis defuturum esse, Pf. XXIII. 1. Matth. VI. 33. quæ summam in Deo acquiescentiam gignit, omnemque futurorum malorum metum excludit; 5. *Ingens jactura*, quam fideles lapsu & amissione fidei faciunt; Ezech. XVIII. 24. Matth. XVIII. 32. 34. 6. *Gravissima impedimenta*, quæ restitutionem fidei difficilem reddunt; Ebr. VI. 4. 5. 6. 7. *Majorem eorum condemnatio*, qui fidem habuerunt, sed rursus excusserunt. Ebr. X. 26. 27. 2. Pet. II. 20. 21. Cæterum huic officio quam maxime REPUGNAT 1. *Securitas*, quæ adest, cum homo se ipsum explorare, defectus suos animadvertere, & in constantiam ac emendationem suam media a Deo ordinata adhibere negligit; 2. *Negligentia*, cum terrena magis curantur, quam spiritualia, 3. *cura præpostera*, cum aut illegitima media, aut justa quidem media, sed illegitime adhibentur.

## §. XCII.

Præparatio  
ad mortem.

*In primis autem id animæ nostræ debemus, ut ad beatam & tranquillam mortem nos continuo præparemus.* Satis enim notum est, æterna hominis fata a fide & incredulitate, quæ in ipso mortis articulo adest, dependere. Christus enim disertis verbis inquit, eos, qui credunt, salvatum, qui ve-

RO

ro non credunt, damnatum iri. Marc. XVI. 16. Quod cum de fide & incredulitate temporaria non valeat, Ezech. XVIII. 21. 22. 24. Luc. VIII. 13. de utraque circa exitum ex hac vita existente intelligi debet. Sic etiam satis notum est, tempus, quo quisque moriturus est, nemini constare. Cum igitur Christianorum præcipua cura sit, ut æternam salutem consequantur, (§. 91. num. 2.) & hinc diligenter evitari debeat, quicquid eos æternæ mortis periculo exponere possit, ita illis vivendum est, ut, quocumque tempore moriantur, beata & placida morte extinguantur. Tit. II. 11. 12. 13. Quod ut fiat,

1. *Salutarem mortis meditationem sæpius in se ipsis renovent*, cogitantes nimirum, sibi aliquando moriendum esse, hanc vitam sequi aliam, in æternum duraturam, eamque vel felicem, vel infelicem, hominem judicari secundum illam qualitatem & dispositionem, quæ ipso mortis articulo adest; &c. Pl. XC. 12. XXXIX. 5. 6.

2. *Animo suo diligenter volvant, fixum quidem sed sibi incertum vitæ terminum positum esse, seque præter omnem expectationem morte præveniri posse*; Luc. XII. 20. Matth. XXIV. 42. 43. 44. XXV. 6.

3. *Semet ipsos quotidie explorent, num fide instructi sint, & cum eam adesse sentiant, operam dent, ut confirmetur, peccata ex infirmi-*

tate commissa serio deprecentur, sique aliqui  
in se esse animadvertant, quod Deo displicent,  
illud abolere omni studio enitantur; 2. Cor.  
XIII. 5. 1. Tim. I. 19. Act. XXIV. 16.

4. Attenti sint ad singulas actiones, neque  
peragant, quod in ipso mortis momento & sui  
discessum ex hac vita a se peragi nollent; 1. Cor.  
XI. 31.

5. Et quoniam homo nunquam magis  
expositus est tentationibus, quam immi-  
nente morte, quo tempore satanas & ipsa  
caro fideles variis dubitationibus, metu  
mortis & futuri iudicii, aliisque doloribus  
animi vehementer vexat, & quandoque  
etiam magni cruciatus corporis accedunt,  
Christianus se ipsum continuo exerceat medita-  
tione gloriae caelestis, ejusque certitudinis, sequi  
semper magis magisque convincat de existentia  
fidei suae & remissionis peccatorum, mortem  
consideret, ut transitum ad eternam & beatam  
vitam, vanitatem rerum mundanarum, earum-  
que inconstantiam & imperfectionem animo suo  
ponderet, mortem Christi dolorosam & igno-  
miniosam ante oculos habeat, futura carnis re-  
surrectione animum recreet, fidem providentiae  
divinae, quae familiam in mundo relinquendam  
non desituet, in se ipso confirmet, assiduis pre-  
cibus Deum invocet, ut ipsi in agone potissimum  
adesse, & quicquid mors acerbi habet, tem-  
perare velit, denique loca scripturae, quibus  
plurimum solatii inest, diligentes colligat, ea-  
rum

rum vim & efficaciam sentiat, sibi que familiaria reddat, ut in ultimo conflictu constitutus hoc gladio spiritus quascunque tentationes & ipsos terrores mortis vincere possit; Phil. I. 23. Rom. VIII. 38. 39. 2. Tim. IV. 6. 7. 8.

6. Inprimis hisce meditationibus totum se tradat, cum gravis morbus, ipsa senectus, virium defectus, aut alius casus vitæ terminum adesse significat, illisque toto animo ita inhaereat, ut fiducia & letitia plenus mortem expectare possit; Luc. II. 29. Act. VII. 58. 2. Tim. IV. 6. 7. 8.

7. Felicem hanc mentis compositæ quietem non parum turbant res domesticæ, quas moriturus novit valde perplexas esse. Verus enim Christianus & post mortem suam suorum salutem prospicit, & fere non potest, ut sua culpa aliquid duri & incommodi patiantur, aut rerum confusio, quas componere potuisset, rixas & lites moveat. Hinc & ad piam mortis meditationem pertinet, ut quisque de rebus suis domesticis mature disponat. Jes. XXXVIII. 1. Gen. XXV. 5. 6. 1. Reg. II. 1. seqq.

Quotidianam illam præparationem ad beatam mortem, præter rationes jam propositas, suadet 1. *Ipsius vitæ hujus conditio*, quæ est migratio & festinatio ad æternam & caelestem patriam; Phil. III. 20. Ebr. XIII. 14. 2. *Ejusdem vitæ brevitatis & incon-*

inconstantia; Ps. XXXIX. 6. XC.  
 3. *Terminus vite fixus*, nobis vero  
 fconditus; Job. XIV. 5. Ps. CXXXII.  
 16. 4. *Neccssitas moriendi, & incertitudo*  
*circumstantiarum*, quæ mortem con-  
 turæ sunt; 5. *Acerbitas mortis*, quam  
 pliciter sentiunt minus præparati, qui  
 vero non timent, qui mortem sæpe me-  
 tantur, & norunt, se in beatam vitam  
 transferri; Phil. I. 23. 6. *Maximum*  
*momentum beatæ mortis*, a qua quippe  
 æterna felicitas nostra dependet; Apoc.  
 XIV. 13. 7. *Tranquillitas & acquiescen-*  
*tia* eorum, qui bene præparati mortem  
 cum certissima spe cælestis gloriæ expe-  
 ctant; Prov. XIV. 32. Rom. VIII. 35. 38.  
 39. 8. *Vis hominem præservandi a mor-*  
*tis peccatis*, quæ piæ & continuæ mortis  
 meditationi inest. Sir. VII. 40. Ps. XC. 12.  
 His motivis veri Christiani sine dubio ex-  
 citabuntur, ut artem bene moriendi sem-  
 per magis magisque discant, animumque  
 contra terrores mortis confirmet. Nihil  
 tamen minus fieri potest, ut multi terro-  
 res istos non prorsus excutiant, eosque  
 tanto magis sentiant, quo se morti pro-  
 piores esse putant. Hos itaque docendos  
 esse, arbitror, mortem in se quidem pec-  
 nam esse, ideoque acerbitate sua carere  
 haud posse, eam tamen non parum tem-  
 perari, si cogitemus, pios id non sentire,  
 quic-



quicquid alias poenarum habere solet; iis tantum esse transitum ad meliorem vitam; omnes hujus vitæ misérias morte finiri; ineffabilem esse gloriam, ad quam morte transferuntur fideles; hanc immediate sequi beatam piorum λύσις; iis non pertimescendum esse iudicium divinum; Jo. III. 18. V. 24. separationem animæ a corpore breve tempus duraturam esse; perinde esse, ac si laboribus fessi vestem deponerent, quam pulsa nocte resumturi essent; cæterum eos paterno affectu curaturum esse Deum sapientissimum, quos ipse in hac vita dilexisset, & quorum auxilium, spes, & præsidium fuisset. Qui hanc salutarem præparationem negligunt, haud dubie sibi persuadent, aut mortem adhuc procul abesse, aut hanc curam rejiciendam esse ad ultima vitæ tempora, cum graviore morbo decumberent, aut senectus appropinquantem mortem annunciat. Illi ergo monendi sunt, tempus mortis quotidie expectandum esse, & maturam præparationem multum habere utilitatis, qua negligentiores non sine magno suo damno carere oporteret; Hi vero, subita & inopinata morte fortassis opprimi posse, curam beatæ mortis eo difficiliorem esse, quo diutius dilata fuerit, circumstantias morbi forte sic comparatas esse posse, ut, seram hanc mortis

tis

et meditationem non facile admittant; &c.

## §. XCIII.

Cura corporis.

Corpus variis viribus & facultatibus instructum est, quæ usu & exercitio habitus converti possunt. Hisce habitibus continetur perfectio corporis. Quæ re cum & hæc perfectio a Christianis promoveri debeat, (§. 90. num. 2.) & præterea Deus externe etiam colendus sit (§. 83.) quod sine recto usu corporis & membrorum ejus fieri haud potest, denique perfectio corporis ad perfectionem animæ, propter arctissimam utriusque unionem, multum faciat, datur obligatio ad curam corporis. Rom. XII. 14. Eph. V. 29. Col. II. 23. Sed ne cura ista præpostere exerceatur, notandum est, non omnem habitum corporis veram esse perfectionem, sed eum duntaxat, qui cum essentiali ejus determinatione consentit. Deus enim singula membra vi agendi, facultate, & dispositione quadam naturali instruxit, ut illorum usu certum operum genus peragatur, quod & in gloriam ejus & ipsius hominis felicitatem & utilitatem tendit. Hinc

I. Diligenter exploret homo, in quem finem singula membra a Deo creata sunt, quidnam

nam in ejus gloriam & animæ, cui totum corpus inservit, felicitatem prestare possint, & quomodo naturalis illa aptitudo perficiatur, ac in habitum evehatur;

2. Verum enim vero nullus datur membrorum corporis usus, nulla illud perficiendi possibilitas, nisi corpus vivat, membrisque ejus sua constet sanitas ac integritas. Ergo & operam dare debet homo, ut vita corporis conservetur, ejusdemque ut & singulorum membrorum sanitas & integritas conservetur. Hinc & vitam ejusque conservationem magnum Dei beneficium esse, scriptura testatur, Job. X. 12. 1. Reg. III. 14. Ps. XCI. 16. quod homo non potest non magnificare & desiderare. Et Christus miseratus est eorum, qui variis infirmitatibus & morbis vexabantur, illisque sanitatem restituit.

3. Quia vero sapientissima Dei est constitutio, ut vita ac sanitas cibo & potu, vestimentis, domiciliis, somno, aliisque rebus necessariis conservetur, homo christianus in eo quoque studium suum collocet, ut hæc omnia ipsi nunquam deficiant, iisque recte utatur. Act. XXVII. 33. 1. Cor. VI. 13. 1. Tim. V. 23. VI. 8.

4. Idem officium, vitam & sanitatem curandi, simul involvit obligationem, sibi a quocunque periculo cavendi, nec sine necessitate se illi exponendi. Sir. III. 24 - 27. Matth.

Matth.

Matth. X. 23. IV. 6. 7. Jo. VIII. 59. Act. IX. 24. 25.

5. Fieri tamen potest, ut quis citra culpam suam morbo aliqua infirmitate prematur, cui nisi iusta remedia opponantur, aut mors metuenda, aut misere vendendum est. *Quod si acciderit, homo negligat usum mediorum naturalium, quibus vita conservari, & sanitas recuperari possit, imprimis autem Deum invocet, ut sibi morbo laboranti opem ferre velit.* Sir. XXXVIII. 1. 2. Luc. VIII. 43. 2. Par. XVI. 12. Jer. XXXVIII. 2. 3. Jac. V. 14. 15.

6. Quemadmodum autem officia erga animam semper potiora sunt officiis erga corpus, (§. 91.) & adhuc magis illis præferri debent officia erga Deum, (§. 69. num. 4.) corpus ita curandum est, ne quid detrimenti capiat anima aut cultus Dei. Matth. X. 28. Rom. XIII. 14.

Cum corpus, vita, & sanitas sint beneficia divina, de quibus solus Deus tanquam supremus rerum omnium Dominus disporre potest, & quæ nobis tantum deposita instar tradita sunt in eorum conservationem; cum mediante corpore & quæ extra nos sunt, opera divinæ sapientiæ & potentiæ percipiamus, & quid nos de Deo sentiamus, significemus aliis; cum corpus aptum sit ad varias artes exercendas, quæ mani-

manifestandæ summi creatoris gloriæ in-  
serviunt; cum & corpus a Deo sanctifica-  
tum sit, ut illius membris ad exercendam  
& promovendam justitiam utamur; Rom.  
VI. 19. XII. 1. cum denique corpora no-  
stra sint membra spiritualis corporis Chri-  
sti, & in illis Sp. S. habitet; 1. Cor. VI.  
15. 19. ex his omnibus necessitas officii,  
quod inculcamus, satis constat. Lex, quæ  
illud a nobis exigit, eadem est, quæ offi-  
cia erga proximum monstrant. Quicquid  
enim proximo debemus, illud multo magis  
intuitu nostrum ipsorummet observandum  
esse, Christus nos docuit. Matth. XXII.  
39. Cumque optimus Salvator Ecclesiam  
corpus suum vocet, suamque curam pro  
fidelibus cum cura hominis pro corpore  
suo comparet, Eph. V. 29. hoc ipso non  
tantum curam corporis approbat, sed et-  
iam suo exemplo docet, quomodo corpus  
curandum sit. Multis autem variisque  
modis peccari potest contra hoc officium.  
Præcipua illius OPPOSITA sunt

I. ABUSVS MEMBRORVM CORPORIS  
ad alenda & implenda desideria carnis,  
aliasque iniquitates. Rom. VI. 12. 13.  
XIII. 14. Eph. IV. 25. seqq. In hunc fi-  
nem qui corpore suo abutitur, dupliciter  
peccat. Nam & desiderium mali tantum  
in eo esse debet, ut sibi non possit tempe-  
rare ab externo exercitio, quod alias vir

*Schub. Theol. Moral.*

T hone-

honestus, licet mere naturalis, potest; corpore contra fines divinos abutitur, & quos conditum, & Sp. S. sanctificatum est.

**2. NEGLECTVS OMNIS CVLTVS CORPORIS.** Nam & hunc scriptura improbat Rom. XIII. 14. Col. II. 23. Qui putant curam corporis ideo negligi posse, aut Christianum non decere, quia non pertinet ad cultum Dei, illi ignorant, dari cultum Dei & immediatum & mediatum, & hunc posteriorem non minus a Deo preceptum esse, quam priorem. 1. Cor. X. 31.

**3. ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑ.** Quamquam enim Deus expressa & immediata lege nullibi dixit: Ne occidas te ipsum; tamen, cum naturæ stimulum se ipsum conservandi injecerit, uti experientia & verbum Dei docet, Eph. V. 29. cum alios occidere vetat, Exod. XX. 13. cumque se solum eum esse testetur, qui jure gaudeat, vitam repetendam ab homine, Ps. XC. 3. satis interdicit esse puto sui ipsius interfectionem. Et sane *αυτόχειρες* non tantum in se ipsos peccant, dum sibi malum atrox adsciscunt, quod perpetuum peccati consequens & flagnum est, sed & in Deum. Is enim quem admodum vitæ mortisque Dominus est, & solus de ea disponere potest, ita in jura ejus majestatica involant, qui pro arbitrio sibi metipsis vitam finiunt. Et quia nemo se

se ipsum occidit, rebus ex voto succedentibus, sed calamitatum impatiens, & ex metu majorum malorum, *αὐτόχειρ* omnem fiduciam in Deo collocandam abjicit, crucem sibi impositam ferre recusat, & de auxilio divino desperat. Hinc non audiendi sunt, qui dicunt, malum minus præferendum esse malo majori. Malum enim physicum, quod ipse mihi infero, cum secum semper connexum habeat malum morale, semper etiam majus est quocunque alio malo, ab aliis mihi illato vel inferendo. Accedit, mala, quæ voluntaria morte præveniri debent, semper esse incerta. Deus ea potest avertere, & si nolit, præstat tamen, ea patienter ferre, & promissa illorum præmia expectare, quam se horrendo vitio voluntati divinæ opponere.

4. VITÆ FASTIDIVM, quod ex diurnitate & magnitudine calamitatum plerumque, ex nimio cælestis gloriæ desiderio rarissime oriri solet. Sed quamcunque habeat causam, indignum est homine christiano. Illi, qui gravioribus afflictionibus vexatur, licet quidem, mortem sibi optare, eamque a Deo petere. Multo magis id licet, si votum hoc a dolore ex tentationibus concepto, a metu lapsus & amissionis fidei, aut a desiderio arctioris cum Deo unionis procedat. Sed desiderium

rium hoc ita temperari debet, ut res tibi  
Deo committatur, nos sorte nostra con-  
tenti simus, & cum patientia ac traditi-  
one in voluntatem Dei nostram liberati-  
onem expectemus. Phil. I. 23. 24.

5. SEGNITIES, seu neglecta cura rerum  
ad hujus vitæ sustentationem pertinens  
um. Sunt, qui putant, hanc curam  
Christo penitus prohiberi. Matth. VI. 31.  
32. 34. Quia vero hæc cura ad vitæ  
sustentationem necessaria est, Dei provi-  
dentia circa hominum conservationem re-  
tum mediate versatur, labor, quo victus  
amictus alias comparari solet, alibi inculca-  
tur, Eph. IV. 28. & quisque suæ vocati-  
onis vacare jubetur, I. Cor. VII. 17. 20. 24.  
cura, quam Christus loc. cit. prohibet  
sine dubio tantum est nimia, vitiosa, &  
cum fiducia in Deo collocanda pugna  
rerum terrenarum cura,

6. TEMERITAS, per quam non quæ-  
cunque contemptum periculi intelligo, sed  
habitu, periculo se exponendi, sine ulla  
physica vel morali necessitate. Qui peri-  
culum spernit, illique forti animo se ob-  
icit, quod est inevitabile, aut officii causa  
subiri debet, ille recte agit, veram forti-  
tudinem monstrat, & si vere pius est, hoc  
ipso de sua fiducia in Deo collocata testa-  
tur. Sed qui inconsiderate ex impruden-  
tia, petulantia, vana ambitione, &c. pe-  
ricu-



riculis se exponit, temerarius est, officium, quod sibi ipsi debet, negligit, & pericula contra Dei voluntatem quarit, in quibus si pereat, ipse mortis suæ causa est. Hanc temeritatem Christus suo exemplo improbat, Matth. IV. 6. 7. & Syracides gravissimis argumentis dissuadet. Sir. III. 24. seqq.

7. PRÆSUMPTIO ABSOLVTI DECRETI CIRCA VITAM ET MORTEM HOMINIS, qua multi disponuntur, ut nec pericula fugiant, nec malo iusta remedia opponant. Deus quidem certum vitæ terminum omnibus prædefiniuit. Job. XIV. 5. Hoc autem non absolute, sed respectu circumstantiarum prævisarum factum est. Qui ergo sanitatem & vitam suam non curat, nec periculum fugit, quod evitare potuisset, ille quidem permittente Deo peribit, sed non volente eo, & sine dubio longius vitam suam protraxisset, si illius curam iusto modo gessisset.

8. MOLLITIES, qua illi laborant, qui corpus magis curant, quam animam, aut cultum Dei. Hoc vitium, quod in se est gravissimorum officiorum impedimentum, non raro conjunctum esse solet cum extrema vanitate. Sunt enim, qui externam formam pro summo bono habent, eam vanissimis artibus ornari curant, & summo studio cavent, ne quid detrimenti ca-

piat. Hi maxime in eo peccant, quod bono minori majus pretium statuunt, quæ majori, re quadam mutabili, quam minime in sua potestate habent, unice delectentur bono quodam superbiant, quod benefici naturæ, non sua virtute acceperunt, & quod veræ felicitatis curam ex nimio vanitatis amore negligent. Taceo plura vitia, quibus hoc hominum genus rarissime carere solet.

## §. XCIV.

Cura opum.

Postquam rerum dominia in mundum introducta, & divina lege confirmata sunt, Exod. XX. 15. victum & amictum & quicquid alias nobis ad vitæ conservationem & felicitatem necessarium est, nobis sumere non licet, ubi invenimus, sed illorum dominia ab aliis in nos justo modo & consentiente domino transferre debemus. Modus ille inter homines precipue receptus est, ut pro re comparanda alia res, cui æquale pretium inesse creditur, alteri tradatur. Res vero corporales, quibus certum pretium statui solet, OPES appellantur. Ergo earum possessio nunc nobis necessaria est ad nostram conservationem & perfectionem. Cum igitur ea nobis quærenda & promovenda sit, quantum fieri potest, (§. 90.) Christiani quoque

quoque obligantur ad acquirendas & conservandas opes. Matth. VI. 11. 33. Eph. IV. 28.

Ad id autem requiritur,

1. Ut iusta opes acquirendi media adhibeantur, quorum precipuum, aut rectius unicum est labor utilis, quo aliorum felicitas promoveri potest; Exod. XX. 9. 1. Cor. IV. 12. Eph. IV. 28. 2. Theff. III. 8. 10. 11.

2. Quia vero vires & potentiam laborandi a DEO accepimus, qui & solus eas nobis conservare potest, quia porro Dei providentia cuncta gubernantur, & sine ejus benedictione frustraneus est omnis labor, Pf. CXXVII. 1. Prov. X. 22. 2. Cor. IX. 8. 9. 10. Deus agnoscendus est tanquam fons omnium bonorum, & invocandus, ut ipsius gratia opus nostrum feliciter succedat, nec fructu suo careat;

3. Si cui per circumstantias suas impossibile est, ut labore & industria sua opes augeat, & in posterum sibi suisque prospiciat, ille sorte sua contentus sit, Deo confidat, & fiducia plenus panem quotidianum ab eo petat; Matth. VI. 11. 34. 1. Tim. VI. 6. 7. 8.

4. Quare cum opes acquirendæ sint, ut nos conservare possimus, cum fructus laborum nostrorum a divina providentia & benedictione dependeant, cum quandoque impossibile sit, ut plus opum terrenarum nobis comparemus, quam ad nos nostramque familiam conservandum re-

quiritur, *nemo abundantiam opum h. e. ditias in se & ex instituto querat*; Prov. XXX. 8. 9. Matth. VI. 19. 20. 21. 1. Tim. VI. 6. 9.

5. Qui suo labore aut casibus fortuna per Dei gratiam ad opum possessionem pervenerunt, *illi sciant, earum omnium Dominum solum esse Deum, sibi vero elocatas esse ut administratoribus bonorum alienorum, id est que ad fines legitimos iis utantur, ut sue administrationis Deo reddere possint rationem.* 1. Par. XXX. 12. 16. Luc. XVI. 1. seqq. coll. 9. 10. 11. 12. 1. Pet. IV. 10.

6. Denique si accidat, ut quis citra suam culpam magnam vim opum, aut etiam omnia, quæ possidet, perdat, *id non sua voluntate Dei sibi evenire agnoscat, fortitudinem & patientia hunc casum ferat, & in extrema quoque paupertate Deo confidat, ejusque nomen celebret.* Job. I. 21.

Studium acquirendi opes non improbandum sed commendandum esse, multis rationibus confirmari potest. Nam 1. dum Deus dominia rerum approbat, & lege communivit, Exod. XX. 15. Eph. IV. 28. vult etiam, ut ea nobis comparemus. 2. Divitiæ sunt beneficia divina, quæ promittuntur, & sæpe etiam collatæ sunt Deo timentibus. Prov. III. 16. VIII. 18. Ps. CXII. 3. 1. Reg. III. 13. 2. Par. XVII. 5. XVIII. 1. 3. Qui opes acquirere negligunt,

gunt, molesti sunt aliis, nec sibi ipsis de rebus necessariis prospiciunt, quemadmodum oportet. Pf. XXXVII. 3. 4. Turpe & impium est, sibi suisque res necessarias non comparare. I. Tim. V. 8. 5. Paupertas multa impedit officia, miseris & pauperibus præstanda, quam si quis sibi negligentia contraxerit, perinde est, ac si officia ista sponte violasset. Quemadmodum autem circa acquisitionem & conservationem opum caute versandum est, ita quisque sibi caveat ab **OPPOSITIS EXTREMIS**. Huc refero

**I. PAUPERTATEM SPONTANEAM.** Sunt, qui sibi non licere putant opes acquirere aut possidere, tum quia divitum non esset regnum cælorum, Matth. XIX. 23. 24. Luc. VI. 24. tum quia discipulos Christi omnia propter Deum relinquere oporteret, Matth. XIX. 27. Luc. V. 11. XIV. 33. ideoque aut bona sua abjiciunt, aut nihil acquirunt, licet possint. Sunt vero etiam, qui spontanea paupertate insignem Dei cultum contineri sibi persuadent, quatenus sine illa ad veram perfectionem perveniri haud posset. Matth. XIX. 21. Sed *prioris generis* homines iis rationibus, quas modo recitavimus, facile confutari possunt. Accedunt vero & aliæ. Nam I. & inter discipulos Christi erant divites, Matth. XXVII. 57. Alii

tantum possidebant bonorum terrenorum  
 ut ipsi Christo iis inservire possent. Luc.  
 VIII. 3. Quin & ipsi Apostoli, licet  
 omnia deseruisse dicantur, nonnihil adhu-  
 opum retinebant. Matth. VIII. 14. Jo-  
 XIX. 27. 2. Qui juste aliquid possident  
 id sibi a Deo datum esse sciant, cujus vo-  
 luntas esset, ut res istas bene & pruden-  
 ter administrarent. Matth. XXV. 14. seqq.  
 Luc. XVI. 1. seqq. Num vero illi bona  
 sibi credita recte administrant, qui ea ab-  
 jiciunt, aliisque rerum terrenarum curam  
 committunt? Itaque quicquid de diviti-  
 bus scriptum est, de sola difficultate, non  
 de impossibilitate salutis intelligi debet.  
 Et qui bona sua religionis causa abjecerunt,  
 aut ex voluntate Dei singulari,  
 Matth. XIX. 27. aut ex officii ratione vel  
 alia quacunque necessitate urgente id fecerunt,  
 Act. II. 45. IV. 34. aut ab aliis se-  
 opibus suis privari passi sunt. Ebr. X. 34.  
 Hæc omnia vero non probant spontaneam  
 paupertatem, nec obstant, quo minus  
 bona nostra retineamus, & quantum pos-  
 sumus, augeamus, deficiente nimirum  
 specialissimo mandato Dei, aut alia causa  
 graviore, opes suas deserendi, & inter ali-  
 os distribuendi. *Posterioris generis* ho-  
 mines non attendunt, cultum Dei, qui  
 spontanea paupertate contineretur, con-  
 traditionem involvere. Deus enim solus  
 acti-

actionibus ad legem compositis coli potest. Spontanea vero paupertas non ex lege sed pro arbitrio eligitur. Possunt sane divitiarum magna impedimenta majoris perfectionis, quin & ipsius salutis esse, quod Christus Matth. XIX. 23. indicat. Sed non ille, qui divitias sponte abjicit, sed qui impedimenta inde nata superat, opibus recte utitur, easque dimittit, cum salva conscientia & salvo officio retineri nequeunt, hanc perfectionem attingit. Mandatum, quod dives ille juvenis accepit, Matth. XIX. 21. prorsus singulare erat, & forte ipsum docere debebat, quam procul adhuc abesset ab ista perfectione, quam jactitasset.

2. AVARITIA est aliud extremum, quo conscientia intuitu opum lædi solet. Est autem avaritia nimia cupiditas, opes habendi & possidendi. Hoc vitio qui laborant, 1. summam felicitatem in possessione divitiarum positam esse putant; 2. omnia eas acquirendi media, etiam injustissima, adhibent; 3. omne tempus, cum neglectu cultus divini aliorumque officiorum, iis corradendis impendunt; 4. Deo pro mercede serviunt, non nisi opibus & divitiis solvenda; 5. in thesauris suis omnem fiduciam collocant; 6. nunquam satis habent opum; 7. eas non in propriam utilitatem, multo minus in aliorum commodum & feli-

felicitatem convertunt, sed summa cura  
 custodiunt, & anxie possident; 8. aliis su-  
 bona invident; 9. lucro & jactura ad que-  
 vis impietates facillime flectuntur; 10. si  
 quid detrimenti ceperunt, nullum admi-  
 tunt solatium; &c. Hinc Paulus testi-  
 ficat, avaritiam esse radicem omnium ma-  
 lorum. 1. Tim. VI. 10. Ut igitur ab ea  
 quisque sibi caveat, considerari oportet  
 1. *avaritiam* inter opera carnis collocari  
 & severe prohiberi a Deo; Matth. VI. 24.  
 Marc. VII. 21. 22. Eph. V. 3. Ebr. XIII. 6.  
 2. *eam* esse fontem omnium malorum, ma-  
 ximarumque impietatum; 1. Tim. VI. 10.  
 3. *magnam* esse stultitiam, opes possideri  
 & iis tamen non frui; Eccl. VI. 2. V. 10.  
 4. *avarum* multis inanibus curis vexari  
 nec unquam animæ quietem invenire;  
 Eccl. V. 9. 5. divitias non esse in hominis  
 potestate tum ratione acquisitionis, tum  
 ratione conservationis; Ps. CXXVII. 2.  
 Eccl. IX. 11. Matth. VI. 19. 6. *omnia* in  
 mundo relinquenda esse, & avarum igno-  
 rare, num suis opibus aliquando frui po-  
 tuerit; Luc. XII. 20. 7. *nihil prodesse* ho-  
 mini, si omnes thesauros mundi collige-  
 ret, & animæ jacturam faceret, quod ta-  
 men avaris semper evenire solet. Matth.  
 VI. 26.

3. Denique huc etiam pertinet PRO-  
 DIGALITAS, per quam habitum intelligo  
 plures



plures profundendi opes, quam vitæ nostræ conditio, & officiorum ratio exigit. Huic vitio qui indulget, perpendat, 1. *prodigalitate* voluptatem, luxuriam, & molliem carnis ali; Luc. XVI. 19. 2. *eam* esse abusum bonorum sibi concreditorum, cujus ratio sibi aliquando reddenda sit; Luc. XVI. 1. 2. 3. *eam* plerumque sequi extremam paupertatem; Luc. XV. 13. seqq. 4. *opibus* turpiter profusis tot juvari potuisse miseros homines; Luc. XVI. 21. 5. *prodigum*, cum, perditis opibus, rebus etiam maxime necessariis caret, hanc miseriam magno cum dolore sentire, nec quicquam habere, quo se ipsum tranquillum & consolari possit.

§. XCV.

Ad nos ipsos perficiendos aliorum in Cura ho-  
nos studio & auxilio quam maxime in- noris.  
digemus. Illud autem non facile impe-  
traturi sumus, nisi alii bene de nobis sen-  
tiant. Et quo digniores nos suo amore,  
benevolentia, aut reverentia judicant, eo  
efficacius nos quoque juvabunt. Quare  
cum quisque se ipsum omni modo perficere  
debeat, (§. 90.) *Christianis quoque ope-  
ra danda est, ut alii bene & præclare de ipsis  
judicent.* Prov. XXII. 1. XXV. 25. Eccl. VII.  
2. Act. VI. 3. XVI. 2. 1. Tim. III. 7. Qui  
hanc

hanc bonam famam sibi comparare cupi

1. *Ille omnia sollicite fugiat, quibus ea perdi posset, & e contrario pro virili sectetur, quod quid bonum, honestum, & laude dignum est.*  
1. Cor. IX. 15. Phil. IV. 8.

2. Bonam famam HONOR comitari solet. Nam qui nos variis virtutibus & perfectionibus instructos esse sciunt, aut re præclare a nobis gestas esse putant, nos non tantum æstimant & magni faciunt, sed etiam hoc suum iudicium & affectum externis signis declarant. Hujus autem generis actionibus alium honorare dicimur. *Ergo Christianus ferre potest, ut bonum sibi deferatur, Prov. III. 16. VIII. 18. Esth. VI. 10. 11. Luc. XIV. 10.*

3. DIGNITAS est status in republica, quo quis aliis superior declaratur. Qui ea ornati sunt, non tantum ad munera publica adhibentur, & aliquam potestatem in alios acquirunt, sed etiam singulari honore distinguuntur. Quemadmodum ergo bona fama comparari debet, ut hoc medio nostram perfectionem promoveamus, & justus honor ab existimatione dependens non prorsus contemnendus est, utrumque autem dignitate continetur, *ita & Christianis dignitates, si quæ offeruntur, adire licet. Dan. II. 48. Marc. XV. 43.*

4. Cum vero honores & dignitates accipere liceat, aut quatenus sunt media, nostram

nostram felicitatem hujus seculi promovendi, aut quatenus bonam famam sequi solent, qua aliorum amorem & juvandi studium nobis comparare debemus, *hec bona non in se, multo minus cum detrimento officiorum graviorum querenda, sed tantum in relatione ad finem appetenda, justo ordine & modo acquirenda, & in Dei honorem nostramque & aliorum felicitatem usurpanda sunt.* Jo. V. 44. XII. 43. 1. Jo. II. 15. 16. Ps. CXV. 1. Act. XII. 23. 1. Cor. IV. 7.

5. Non semper contingit fidelibus, ut honorem & dignitates, quibus digni sunt, consequantur. Mundus male de iis sentire, eos contemnere, injuriis ac contumeliis afficere solet. Quod si acciderit, *suam quidem innocentiam demonstrare possunt, inprimis si malevolorum obtreccionibus magno periculo exponantur, aut aliquid boni efficere impediuntur,* Jo. VIII. 49. seqq. Act. XXI. 38. seqq. 2. Cor. XI. 21. seqq. *cæterum autem has injurias patienter ferant, non ulciscantur, sed Deo rem totam committant.* Matth. V. 11. 12. X. 25. 1. Pet. IV. 14.

Bona fama ad perfectionem status externi pertinet, & hinc eo minus est negligenda. Præterea Christiani duplicem habent causam, illius curam gerendi. Nam *primo* ipsi de se aliis bene sentire, eosque pro dignitate honorare debent. Cum igitur pro-  
ximum

ximum *sicut se ipsum* diligere jubeantur  
 idem ut & sibi contingat, curandum est  
 Secundo Deum, quem colunt, & religio-  
 nem quam profitentur, suis operibus ce-  
 ram mundo celebrare debent. Matth. V.  
 16. I. Pet. II. 12. Sed quomodo id fieri  
 posset, si famæ suæ rationem non habe-  
 rent? Cum externa politia officiis publicis  
 illisque adhærentibus dignitatibus carere  
 non possit, Christus autem suo evangelii  
 regimen politicum non sustulerit, sed po-  
 tius, Deus ipse magistratus & iudices in  
 populo judaico constituerit, & præterea  
 multi sancti homines dignitatibus se ornari  
 passi sint, nec eas abjecerint, qui tunc  
 pore Nov. Test. fidem amplexi sunt, Chris-  
 tianis omnino licet ad dignitates in Rep.  
 aspirare. Sed caveant sibi ab AMBITIONE,  
 quæ periculosissimum vitium est,  
 quo multi intuitu honoris corrumpi so-  
 lent. Est nempe ambitio habitus, exter-  
 num honorem in se tanquam ingens bonum  
 appetendi. Qui affectus cum in uno  
 major esse possit, quam in altero,  
 vehementia & modus, quo ambitiosi hono-  
 rem ambiunt, non semper est æqualis.  
 Plerique honorem tanquam finem ultimi-  
 mum omnium suarum actionum sectantur,  
 externis honorum titulis aliisque signis  
 mirifice delectantur, eorum defectu autem  
 ad odium, iram, & vindictam excitantur,  
 majus

majus sibi suisque meritis pretium statuunt, quam par est, alios juxta se contemnunt, &c. Nihil autem abominabilius est hoc vitio. Nam 1. *Deus ferre* non potest fastum & ambitionem; Prov. VIII. 13. VI. 16. 17. Ezech. XXVIII. 6. 7. Luc. I. 15. Jac. IV. 6. 2. *Homo* a se ipso nihil habet, de quo gloriari posset; 1. Cor. IV. 7. 3. *Externus honor*, si in se spectetur, nec ad bonum finem referatur, nihil est, magna laborat inconstantia, & brevi transit; Ps. XLIX. 12. 13. Act. XII. 23. 1. Jo. II. 16. 17. 4. *Non ambitione* & nimio honoris studio sed humilitione sui ipsius verus honor comparatur; Prov. XXIX. 23. Luc. XIV. 11. 5. *Fastus* est character summæ impietatis, qua ipse Deus contemnitur & abnegatur; Ps. X. 4. 6. *Honor*, qui ambizioso defertur, plerumque simulatus est; vulgus in corde odit, & sapientes contemnunt eum; 7. *Lapsus*, qui ambitionem sequi solet, Prov. XVI. 18. eo gravior, & acerbior est ambizioso, quo magis honorem tanquam summum suum bonum quæsierat. 8. *Nec ullum* fere vitium plures hostes & inimicos excitare solet, quam ambitio.

§. XCVI.

Victus & amictus, honores, & di. Labor.  
gnitates comparari nequeunt, nisi utili la-  
Schub. Theol. Moral. U bore

bore, quo quis de aliis bene mereri studet. Cum itaque utrumque justis mediis acquiri debeat, (§. 94. 95.) *Christianorum quoque laborare.* Exod. XX. 9. Prov. XXXI. 13. Sir. XXXI. 27. Eph. IV. 28. 2. Tim. III. 10, 11. 12. Et quia varia dantur laborum genera, quæ ab omnibus exerceri non possunt, nec, si exercerentur, veram humano generi utilitatem præstarent,

1. *Quisque sibi certum vitæ & laborum genus eligat, quod aliis utile, sibi vero conveniens esse sentit, illique plene addiscendo animam mature applicet;* Prov. XXII. 6. Act. XVIII. 3.

2. *Quod si satis familiare sibi reddiderit, & jura acquisiverit, illud exercendi, aut ad hoc laborum vel negotiorum genus publica auctoritate vocatus fuerit, omnem adhibeat diligentiam, quæ sui sunt officii, fideliter & strenue exequatur, nec molestias cum labore connexas reformidet;* Prov. XIII. 4. XXI. 25. XXII. 13. XXVI. 13. seqq. Rom. XII. 11.

3. *Quamvis autem Christianos laborare, & alicui officio vacare oporteat, ut se suosque honeste alere possint, tamen, cum, quicquid agunt, in honorem Dei agere debeant, 1. Cor. X. 31. & officia erga Deum quibuscunque aliis longe præferenda sint, (§. 69.) Christiani suo quoque labore Deum colant, & caveant, ne quid detrimenti inde capiat cultus, qui Deo immediate debetur;* Exod.

Exod. XX. 9. 10. Matth. XXII. 5. Luc. XIV. 18. 19.

4. Denique cum ad felicem operum nostrorum successum requiratur, ut nobis vires laborandi sufficiant, & labor noster suo fructu non careat, omnis autem generis bona a Deo petenda sint, (§. 87.) *Christianus quoque Deum quotidie invocet, ut sibi vires ad laborandum necessarias largiatur, suoque operi benedicat.* Pl. CXXVII. 1. 2. Jer. XVII. 7.

Quemadmodum omni labore utili nomen Dei celebrari, & proximus juvari potest, homo autem ad utrumque obligatur, ita & illis in aliorum commodum & utilitatem laborandum est, qui alias satis opum habent, quod & post lapsum homini salutare esse videtur. Gen. III. 19. Opposita hujus officii sunt 1. INIUSTI ACQVIRENDI MODI, quorsum labores pertinent, qui tantum voluptati & otio inserviunt, variis fraudibus continentur, & nullam veram utilitatem Reip. aut proximo præstant; 2. PIGRITIA, cui homines molles & laboris impatientes se tradere solent; 3. OTIVM, quod & Deo displicet, Matth. XX. 6. & hominem variis tentationibus exponit, 1. Tim. V. 13. nec excusari potest continuo cultu Dei immediato, cui ut se totos tradant, nonnulli vitæ genus laborum

borum expers eligunt: Deus enim  
 ut laborantes panem nostrum edam  
 Gen. III. 19. Eph. V. 28. 2. Theff. I.  
 10. Et si quisque soli cultui Dei im-  
 diato vacare vellet, missis omnibus labo-  
 ribus & negotiis, humano generi bre-  
 percundum esset. Nullus autem culti  
 Deo placere potest, qui cum continua  
 sua transgressione connexus est. 4. *ἡ  
 λυπραγμοσύνη*, quæ ideo illicita est, quia  
 quisque ad certum vitæ & laborum genus  
 a Deo vocatus est, & hinc, qui aliis ne-  
 gotiis extra terminos sui officii se ingerit  
 contra finem & voluntatem Dei agit. Rom.  
 XII. 7. 1. Pet. IV. 15.

## §. XCVII.

Tempe-  
 rantia.

Ad perfectionem promovendam no-  
 stris quidem viribus rebusque aliis uten-  
 dum, sed simul in earum usu certus ser-  
 vandus est modus. Qui si forte excedatur  
 non tantum aliquid peragitur, quod fini  
 nostro & voluntati divinæ non respondet  
 ideoque malum est, sed etiam, cum Deus  
 cuncta sapientissime disposuerit, & hinc  
 rerum perfectio a sola justa mediocritate  
 finem relatione expectanda sit, ejusmodi  
 excessus ipsi homini damnum haud leve  
 infert. Jam vero habitus, in usu virium  
 nostrarum aliarumque rerum eum servan-



di modum, qui intuitu perfectionis nostræ promovendæ servari debet, TEMPERANTIA dicitur. Ergo & Christianis temperanter vivendum est. Sir. XXXIII. 30. 1. Cor. VII. 31. 2. Pet. I. 6. Quemadmodum autem varius & multiplex datur rerum usus, in quo modus & servari & excedi potest, ita in specie

1. Homo sibi caveat, ne nimium potum & cibum capiat, quod sine dubio fieret, si plus ederet ac biberet, quam ad vitam, sanitatem, & vires conservandum requiritur. Nam ad hunc finem cibus & potus a Deo destinatus est. Jes. V. 11. 22. Rom. XIII. 13. Gal. V. 21. Eph. V. 18. 1. Tim. II. 2. Tit. I. 6.

2. Sic & in vestium usu modus esse debet. Vestes necessariae sunt tum ad nuditatem tegendam, tum ad corpus adversus injurias tempestatis tuendum. Et quoniam non tantum integræ gentes, sed etiam varii status homines vestimentorum genere sese distinguere solent, quod in se improbandum non est, 2. Sam. XIII. 18. Esth. V. 1. VI. 10. 11. hujus etiam consuetudinis ratio haberi debet. Itaque modum hac in re excederet, qui aut splendidioribus vestibus uteretur, quam ratio status & dignitatis suæ exigere, aut vestimentorum genere sanitati noceret. Jes. III. 16, seqq. Luc. XVI. 19,

U 3

3. Nec

3. *Nec minus in labore servetur modus.* Laborandum enim est, ut opes & dignitates acquiramus & conservemus. (§. 96.) Et hæc acquirendæ sunt, & in potestate nostra habeamus, quæ conservationi vitæ & sanitatis inserviunt. (§. 94. 95.) Quæ ergo nimios labores sibi imponit, quibus vires franguntur, sanitas corrumpitur, & non raro vitæ terminus acceleratur, ille sine dubio hac in re modum excedit, & quod sui est officii, negligit. Exod. XVIII. 18. seqq. Num. XI. 17.

4. *Denique & affectus ita sunt temperandi, ne nimis effervescent.* Anima nostra affectibus carere non potest. Alii in se boni sunt. Alii ad superandos labores necessarios aliasque difficultates hominem excitant. Cum autem justo vehementiores fiunt, & sanitati nocent, & prudentiam & circumspectionem impediunt, & hominem in multa prohibita præcipitant. Hinc ne quid nimis hac in re fiat, sollicitè curandum est. Gen. XLIX. 6. 1. Sam. II. 29. Eph. IV. 26.

Intemperantia ex hac quoque causa cavèri debet, ut omnis abusus rerum ad bonos fines a Deo creatarum evitetur, & homo semper aptus sit ad colendum Deum. Quando circa potum exercetur, EBRIETAS est, quæ κατ' ἐξοχὴν intemperantia dici solet.

let. Hoc vitium inprimis scriptura improbat, Deut. XXI. 20. Jes. V. 11. 22. I. Cor. V. 11. VI. 10. 1. Pet. IV. 3. & merito abominatione dignum habetur, tum quia hominem usu rationis privat, & in bestiam convertit, quæ tantum speciem humanam habet, tum quia cum sanorum hominum contemptui & ludibrio exponit, tum quia fons & semen maximorum peccatorum est, hominem ad serviendum Deo & juvandum proximum ineptum reddit, & ad varia facinora disponit, quorum memoria hominem ad sanam mentem reversum acerbè vexat, tum denique quia sanitati maximopere nocet, & corpus destruit. Qui in vestium ornatu modum excedunt, **SVPERBI** sunt, quamquam huc quoque pertineant, qui in aliis rebus externis, v.g. supellectile, domicilio, famulatio &c. ultra terminos evagantur. Amos. VI. 4. Qui hoc vitio affectus est, præter rationes generaliores ipsius rei vanitate & contemptu prudentiorum emendari debet. In **LABORE** modum tenendum esse, ipsa Sabbathi institutio docet. Exod. XX. 9. 10. Cum autem negotiis nostris otia quandoque interponimus, curandum est, ut nihil vitii aut turpitudinis, multum autem utilitatis habeant. Eph. IV. 29. 2. Tim. II. 16. Interim respectu horum omnium quisque naturæ, virium, conditionis, & vocatio-

nis suæ rationem habeat. Quod enim in uno intemperantia est, talis non semper est in altero.

## §. XCVIII.

**Prudentia.**

Impossibile est, ut quis finem suum consequatur, nisi media satis apta & convenientia adhibeat. Jam vero consistunt multos dari fines, quibus ut homo poterit, omni studio eniti debet. Nam omne officium, ad quod obligatur, habet rationem finis. Cum igitur ex hac causa necesse sit, ut mediis utatur ad consequendos fines apta & sufficientia, habitus autem, id agendi, quod finibus nostris infervit, PRUDENTIA dicatur, sequitur, *Christianos ad vitam suam prudenter instituendam obligari.* Ps. XC. 12. Matth. X. 16. Eph. I. 8. Hæc virtus ad singula quidem officia extendi potest, quæ Deo, nobis ipsis, & proximo præstanda sunt. Plerumque tamen accipi solet pro modo agendi, quem quis intuitu sui ipsius servare tenetur. Et hoc respectu prudentia involvit,

1. *Ut finem nostrum ante oculos semper habeamus, qui est propria cujusvis nostrum perfectio & felicitas.* (§. 90.

2. Quando plures fines intenduntur, unus autem reliquis est præstantior, prædens fines suos ita sibi subordinabit, ne  
prima-

primarius secundariis & minus principalibus impediatur. Nam media, quæ ad fines secundarios cum detrimento primarii adhibentur, vere sunt inepta & inconvenientia. Jam vero multiplex est perfectio, quam homo pro fine suo habere debet. Alia est animæ, alia corporis, alia status externi. (§. 90. num. 2.) Et inter has animæ perfectio reliquis omnibus merito præferenda est. (§. 91.) Ergo prudentia Christianorum postulat, ut quisque æternam animæ suæ felicitatem tanquam finem primum sectetur, corpus autem & statum externum ita curet, ne quid illa detrimenti capiat. Matth. VI. 33. XVI. 26.

3. Hoc ordine servato prudens Christianus singulas actiones suas probe ponderet, nihilque peragat, nisi quod uni alterive fini inserviat, simul vero etiam virium, occasionum, & circumstantiarum habeat rationem, nihilque prætermittat, quo unum alterumve finem promovere possit. Sir. VII. 40.

4. Ipsa quidem cujusvis scientia & experientia non raro docet, quid intuitu hujus vel illius finis apte & commode peragi possit. Quia vero scriptura longe certius nos instruit, quibus mediis singuli fines obtineri possint, & quo ordine & modo illa adhibenda sint, vera prudentia ex sacris literis addiscitur, dum leges in iis traditas nobis familiares reddimus, easque ad casus singu-

lares nobis obvios recte applicamus, & strenue sequimur. Ps. CXIX. 9. 104. 130. Sal. XIX. 18.

5. Cum ergo optima præsto sunt media, finem secundarium facillime consequendi, illa, vero in scriptura improbantur, & contraria suadentur, que fini isti aperte repugnant, scripturam ad diamus, & secure sequamur, licet ille agendi modus mundo stultissimus esse videatur. Prov. XIII. 19. 1. Cor. I. 18. 25. II. 14.

Totum illud vitæ genus, quod fide & pietate peragitur, in scriptura dicitur prudentia, vita impiorum autem stultitia. Ps. XIV, 1. 2. CXI. 10. Prov. IX. 10. Matth. XXV. 2. Soli enim fideles & pii recte utuntur mediis, quibus æterna salus, ultimus ille omnium hominum finis, comparari potest. Sensu tamen specialiori ille agendi modus per prudentiam intelligitur, quo fines, tam primarius quam secundarius, semper in oculis feruntur, actiones caute & circumspecte diriguntur, & ad consequendos fines media adhibentur convenientissima. Matth. X. 16. Luc. XVI. 8. Potest itaque CHRISTIANORVM PRUDENTIA definiri, quod sit habitus, nihil agendi, nisi quod habeat rationem medii, finem lege divina præfixum consequendi, omnibus facultatibus, circumstantiis, & occasionibus ad hos fines consequendos recte

recte utendi, ipsos vero fines ita sibi invicem subordinandi, ut nobilior semper præferatur ignobiliori. Hinc cum æterna animæ salus finis primarius omnium hominum sit, saltem esse debeat, & hoc sine nemo potiri possit, nisi qui Deum recte colit, prudens Christianus omnia summo studio fugit, quæ salvo Dei cultu, salva fide & pietate, peragi nequeunt. At enim vero huc multa media pertinent, quæ alias satis apta sunt ad hujus vitæ felicitatem, opes, honores, & dignitates comparandum. Quibus igitur cum homo mundanus & naturalis uti soleat, omnemque suam prudentiam in iis inveniendis & adhibendis collocet, Christianus vero ea aversetur, & alium prorsus agendi modum sequatur, apparet, sapientiam hujus mundi toto cælo differre a prudentia Christianorum, & hanc mundo stultitiam esse videri. Luc. XVI. 8. I. Cor. IV. 10. Sap. V. 3. 4. Quia vero sapientes hujus mundi aut finem secundarium cum detrimento primarii, aut etiam quandoque finem in se malum omni cura sectantur, & mediis aptissimis, licet in se impiis, ad consequendum eum utuntur, eoque non raro potiuntur, Christus vult, ut fideles intuitu finis primarii mediorumque bonorum hunc agendi modum imitentur. Luc. XVI. 8.



CA-